


A. 87,44.





M. ALB. GEORG. WALCHII
PHIL. ET MATH. PROF. ET ILL. GYMNASII HENNEB.
RECTORIS

ORATIO

IN SACRIS GYMNASII SAECVLARIBVS
SECVNDIS

D. X. MAI. CICCCCLXXVII
HABITA



SILVIAE,
STANNO IO. GEORG. MULLERI, GYMN. TYPOGR.
CICCCCLXXVIII.

W. V. IR. GEORG. WALTCHII


FINE ET MATH. PROFI ET UL. GYMNAI. HENNI.

MOTIORS

O R A T I O

IN SVCRIS QLVINISI SACCASTVRBAS
SECONDIS

D. XIII. MAI. C. D. C. C. LXXXVII
HANAV.



SILVIAE

etiammo IO. GEORG. WALTCHII GYMN. THOCER

C. D. C. C. LXXXVII

V I R O
PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO
CHRISTIANO AVGUSTO
A TAVBENHEIM

PRINCIPATVS HENNEBERGICI QVANTVM CELSISSSIMO SAXONIAE
ELECTORI PARET

MODERATORI SVPREMO

SVO ET GYMNASII PATRONO

AETERNVM DEVENERANDO

ALBR. GEORG. WALCH

*Q*uod TVI potissimum, Vir Perillustris, nominis ve-
nerandi auctoritate praemunita, in lucem prodeat
oratio mea, vix puto TE mirari. TV enim ipse, legendae
eius vel manu scriptae, vel typis expressae, copiam me TIBI
facere, identidem iussisti; idemque, vt praelo eam subiicer-
rem, autor mihi fuisti et suasor grauissimus. Nunquam
enim literarum typis eam diuulgandi, animus mihi fuit.
Qui si mibi fuisset: certe non anno demum et semestri inter-
iecio de edenda ea cogitarem; sed orationem iubilaeam ipso
illo tempore edidisse, quo recitaram eam et quo recenti ad-

A 2

buc

S I V

huc festiuitatis memoria, caritas quaedam illi et gratia accessura videbatur -- At non lecturis sed audituris eam scripsoram. Nunc igitur diu, et post captum TIBI obtemperandi consilium, cunctatus, offero TIBI, Vir Perillustris, orationem saepe flagitamat, ea quidem vel animi reverentia vel verecundia, quae esse debet oblaturis TIBI scriptiunculam, TVA persona vix dignam; nec magis quicquam in votis habeo, nisi ut et lecta TIBI non improbetur, quam auditam TIBI probatam fuisse, indulgentissime subinde significasti. Ceterum occasione data, literis publice missis te salutandi, lubentissime eo abutor, ut simul ingenue profitear, quantum Gymnasio, adeoque et mibi gratuler, TIBI potissimum, Vir Perillustris, rerum Hennebergicarum curam supremam demandatam esse, cui et ingenium est, literarum humanitate et optimarum artium studiis nutritum et publica disciplina legendis Latii scriptoribus formatum; et animus qui delectetur literarum elegantia et exercitationibus ad humanitatem spectantibus, qui laetetur adolescentium speciminiibus laude excipiendis, et beneficium se praecheat et clementem in adiuuandis egentiorum studiis. Tali ac tanto Viro patriae gubernaculis admoto, non potest non res eius literaria efflorescere. Quapropter non propriam mibi a TE clementiam expeto, quam iam ita expertus sum, ut accrescere illi vix quicquam possit, sed communem, tutelam nimirum et Patrocinium Gymnasi, cuius famam et salutem meam esse existimo.



Nunquam sane, vel pro rostris Gymnasii nostri, vel alio loco dicendi, solennior et festiūor occasio data mihi est, quam quae hodie se mihi offert, quo die expectatissimo, sacra Gymnasii huius saecularia, oratione iubilaea auspicanda sunt. Incidit nimirum, quod ad beneficia refero supremi numinis, incidit aetas mea in hunc ipsum annum, quo transacto feliciter saeculo aetatis suae altero, ex auctoritate serenissimorum eius Nutritorum Gymnasium hoc illustre, cui regendo eorundem munificissimorum principum gratia me praefecit, ludorum saecularium celebritatem ex voto decerneret. Video,

A 2

quod

quod multi ante me, qui vel docendi vel discendi gratia
 in hoc loco versarentur, videre gestirent, video annum
 illum Gymnasii nostri natalem tertio redeuntem, eum-
 que vidisse, et mihi et Vobis, sodales coniunctissimi, gra-
 tulator. Nec puto quemquam fore, qui miretur, me lae-
 tationis impotentiae cedentem, animi exultabundi signifi-
 catione, dicendi initium facere. Nostri enim, o Silusia,
 quanta patrui tui soli dulcedine trahar et quam proprie ad
 me pertineant, quae communia tibi ex voto contingunt.
 Nonne igitur vel tuo nomine, carissima patria, in sacris
 Gymnasii tui saecularibus exultem? At multo sanctoribus
 et magis propriis rationibus mens mea ad laetandum eri-
 gitur iubilaea festiuitate Gymnasii, vel Parentis memoria,
 qui dimidium fere saeculum docendo hanc ipsam cathe-
 dram pressit, mihi carissimi; Gymnasii, cuius in aedibus ipse
 lucem primus vidi cuiusque ordines singulos a primis pue-
 ritiae annis emensus sum; Gymnasii, cuius gubernaculis
 ipsum me diuina prouidentia defunctoro patre admouit,
 qui ad muneric huius grauitatem, si non doctrinae co-
 piam et varietatem, literarum certe studium et docendi
 ingenuam voluntatem ad illud attulisse videor; Gymnasii
 denique, a cuius regimine me non nisi morte, vel si
 Deus ita velit, senii imbecillitate auelli patiar. Acuit et
 auget laetitiae sensum frequentissima spectatissimorum vi-
 rorum corona, quos assidendo probare eam cerno. Ad-
 sunt enim et fauent iubilanti mihi viri sapientissimi et gra-
 viissimi, communis patriae tutores, quorum in Gymna-
 sium hoc insignia promerita cuique confessa gratissima
 pietate deueneror, Electoralis Hennebergiae supremus
 moderator, et reliqui qui in ea administranda et sacris
 eius tuendis a Consiliis sunt Celsissimo Electori; adeo
 ex aula Ser. Nutritoris Meinungensis vir literarum honore
floren-
S. A.

* * *

florentissimus; *) adest Gymnasii Ephorus, cum canitie tum
pietatis et sacrarum literarum laude venerabilis, praesen-
tiens in sacris Gymnasii saecularibus publicis priuatae
iubilari solennitatis post semestre laetissimis omnibus fu-
turae religionem; **) adsunt viri clarissimi, summis Hen-
nebergiae honoribus admoti, vel ante meam aetatem e
Gymnasio egressi, vel mei quondam in eo commititones
vel ipsi disciplinae meae primi alumni, laetabundi omnes
Gymnasii, studiorum suorum communis matris, prosperi-
tate; adsunt praeceptores, praeter vnum omnes Gymna-
sio, quod iam docendo ornant, innutriti, literarum ani-
morumque studiis coniunctissimi; adsunt commititones
leotissimi, iuuenum et puerorum laetissima cohors, ex
vniuersa Hennebergia eiusque confiniis in hanc musarum
palaestram collecta, adsunt sibique gratulantur, quod
studiorum suorum primordia inciderunt in hanc ludorum
saecularium celebritatem. Et quotquot adsunt, fronte et
vultu hilaritatem preeferente, conspirare mecum vi-
dentur. Quapropter et meo et communi nomine os
meum laetitiae publicae concedo, laetissimis praeconiis
celebrando supremi numinis, qui haec nobis gaudia fecit,
benignitatem, pia recordatione optimi principis, Geor-

A 4

gii

*) Vir Ill. Io. Fr. Fritze, Ser. Ducibus Saxo - Mein. a Conf. Reg.
oppidi nostri et Gymnasi quondam ciuis, nunc insignis benefa-
ctor et Patronus.

**) Vir S. R. M. Io. Gottg. Muller, qui quinquagesimum natalem mune-
ris sacri primum suscepit, die XXII Oct. eiusdem anni celebraret,
quam solennitatem intimauit et simul de memorabilibus vitae eius
exposui in programmate peculiari, in quo b. Ludouici notitiam
Archidiaconorum et Diaconorum Schleusingensium, ad nostram
usque aetatem continuarem.

gii Ernesti, Comitum Henneb. supremi, et huius Gymnasi conditoris munificentissimi, sanctam memoriam recolendo, et pie deuenerando Serenissimorum, quorum munificentia Gymnasium hoc a diuo conditore, haereditatis iure ad se delatum, etiamnum sustentatur, clementiam. Vtinam dari hoc posset votis nostris, vt, qui viuus saepe summa cum indulgentia interfuisse ludis Gymnasi tui, diue Georgi Ernesti, etiam nunc interesses ludis eius saecularibus; vt qui nascentem tua clementia eius infantiam vidisse, etiam natalem eius ducentesimum videres, vt qui laeta spe efflorescentis Gymnasi recens fundati laudibus excipereris, et vota facientem Mollerum primum eius Rectorem audisses, me etiam vota soluentem et gaudii saecularis interpretem audires. Et fane si coelitum quemquam sublunarium rerum cura tangeret: mentem tuam crederem, immortalis Georgi Ernesti, de coelo demissam, Gymnasi tibi quondam tam cari, saecularibus inerrare.

At erunt fortasse, auditores ornatissimi, qui nimium me putent in profitenda animi commoti laetitia et in iusta Gymnasi iubilantis prosperitate, cuius tamen celebritas et frequentia tanta non sit, quantam patrum memoria extitisse, accepimus; qui minui credant et obscurari communis laetitiae sensum recordatione florentioris quondam Gymnasi iam senescentis status et qui proinde subridere sustineant in sacrorum saecularium apparatu. Quae cogitatio ne forte cuiusquam animo penitus inhaeret eumque aduersus ouationis publicae communionem munit et obduret: hunc ego mihi finem in hac oratione iubilaea posui, vt dignitatem et religionem huiusc diei ab ista criminatione defendarem caufamque agerem scholarum

larum quas in celebranda natalium memoria deflorescens
 celebritatis pristinae fama culpa quadam premere videtur.
 Si quis forte fuerit, qui hanc dicendi rationem velut odio-
 fam et minus iucundam, alienam esse putet a ludorum
 saecularium hilaritate, vbi oratorem gaudium potius
 spirare quam querelas effundere deceat: sciat iste, nequa-
 quam abhorrere a consilio et scopo huiusce solennitatis
 orationem quae faciet ad amoliendam vetustatis ignomi-
 niā. Spero enim fore, vt cum dicendi finem fecero,
 apud plerosque maior dignitas Gymnasio accedat quam
 ante fuit. In duas potissimum partes, disparest quidem,
 dispescitur mea oratio, primum vt ex fastis Gymnasiī no-
 stri ostendam, quae fuerit diuersis temporibus eius fre-
 quentia, deinde vt rationes subiiciam, quae concurrere
 possint ad minuendam eius fama quondam florentis cele-
 britatem. Cum, quae differam, paene omnia, aetatem
 tangant nostra anteriorem, quis enim ignorat, rationem
 priorem esse eo quod ratione efficitur? non opus erit
 sponsione, me nihil dicturum, quod tam festiuo die cui-
 quam posfit improbari: ingenue tamen dicam, vt orato-
 rem iubilaeum decet eundemque Gymnasiī Rectorem.
 Enitendum tamen mihi reor, vt omni in solennitate hac
 saeculari dicturo, ne quid de Gymnasio nostro ita dicam,
 vt idem illud de omnibus aliis dici simul ac praedicari po-
 tuisse, videatur.

Magna omnino fuit quondam Gymnasiī huius fre-
 quentia, temporis quidem varietate distincta. Ipsō anno
 natali, quo schola adhuc oppidana ad Gymnasiī dignita-
 tem inaugurateatur, ciues habuit 279, qui sequenti sta-
 tim anno ad trecentos accreuerentur. Singulis fere annis
 maior cumulus accessit, dum anno prioris saeculi decimo
 quarto

quarto quadringenti essent: et numerus omnium maximus extitit anno eiusdem saeculi decimo sexto, quo computarentur auditores 425. et in iis XX. nobiles et Lipsiensium filii plurimi, omnes paene a b. Sebero, tum Gymnasii Ephoro et ante Rectore, accersiti, vel ad eum commendati, vel nominis eius famam fecuti. Sic igitur non minus maioribus nostris, quam ipsis nobis carum et sanctum fuit b. Seberi, doctissimi, quem Schleusinga nouit, viri nomen; illis quidem ob florentissimum eius aetate Gymnasii statum: nobis vero ob legatam Gymnasio bibliothecam instructissimam. Quapropter in tanti viri, tam immortaliter de nobis meriti memoriam, seruari non abrogari debuisset *Hortulus eius biblicus*. Sponte sua vir diligentissimus, amissa per immodicam literarum Graecarum lectionem oculorum acie, e prouincia discessit, et quinquagenarius aetatem, si laboribus metiaris, senis centenarii finiuit anno 1634. *) Excepit hanc Gymnasii aetatem auream belli illius tricennalis funestissima tempestas: qua Germaniam premente singulis annis diminutus est discipulorum coetus, adeo ut, vix fieri posse quisquam credit, pro 425 illis, triginta annis interiectis, centum modo et septendecim Gymnasio essent adscripti, quem numerum pueri fere trium classium infimarum aequare solent. Tunc retento communitatis beneficio, inspecto dimissus et classis eius cum Tertia coniuncta fuit, et Primae huic quinque inerrabant auditores. Sed ferream hanc tempestatem mox restituta pace westphalica, lacraria tempora consecuta sunt; mox iterum ad ducentorum numerum discipulorum cohors emersit: quae vero ad

*) Fufus laudes eius persecutus est Exc. Eccius in oratione, his ipsis ludis saecularibus habita, et 1778 Lipsiae emissā.

primum saeculum aetate Gymnasi vergente iterum decreceret, ut in examine ante sacra eius saecularia prima habitio 170 modo numerarentur, qui numerus xx minor est coetu eorum, qui hoc ipso anno saeculari secundo subsellia nostra premunt. Tum iterum laetior lux affulit Gymnasio usque ad annos huius saeculi *secundum et tertium*, quibus ad **CXL** numerum accresceret ciuitas Schleusingae literaria: quibus annis apposuit huius aetatis Rector b. *Ludouici*:

Tam numerosa cohors S^tlusiæ non cognita multo

Tempore Gymnasio numen adesse docet.

et ad hanc usque annum par huic numero frequentia Gymnasio non contigit. Subsequentes potius anni usque ad annum pacis Ultraiectinae vel aquales vel exiliores extitere iis, quos nostra vidit aetas. Tum impleri iterum vel superari coepit *ducentorum* ciuium numerus usque ad annum huius saeculi 36. ex quo infra *ducentos* singulis annis repertus est coetus scholasticus, et ab hoc usque ad hunc ipsum annum iubilaeum sterilitas discipulorum maxima incidit in annum huius saeculi *quinquagesimum*, vbi ultra *centenos* adessent modo *sexaginta et octo*. Ex hoc anno accrescere iterum visi sunt, et plerumque annua iustificatione inuenti sunt *centum et octoginta*, et in nouissima *centum et nonaginta*. Habetis igitur, auditores, unde iudicare possitis de frequentia Gymnasi sacra sua saecularia celebrantis. Nequaquam illa accedit ad celebritatem iuuentutis suae florentioris: insunt tamen fastis eius anni frequentiae vel paris vel minoris: et in ipso iubilaeo Gymnasi primo adfuerunt ciues 170, nobilium puerorum nemo; in hoc altero vero 190 et in illis, no-

B

biles

biles terni, nec nostra demum aetate, sed iam per 40 annos
deprimi coepit de pristino famae fastigio ad eum, quo
nunc fruitur, frequentiae gradum. Neque tamen, si
defecisse autoritatem, famam et celebritatem pristinam
fatemur, est quod hoc miremur, si rationes velimus in-
dagare, quae valeant ad minuendam scholae quandam
florentioris frequentiam. Id ipsum est, circa quod bona
Vestra pace mea porro versabitur oratio.

Premimur nimirum omnes, premuntur nobiscum
res humanae quaelibet consuetudinis et moris faeuia tyran-
nide, et viciifitudinis lege, quae cuiquam perennem
constare honorem vetat. Seni non manet gratia viuax
et stabilis, quae iuueni fuerat:

Vt syluae foliis pronos mutantur in annos
inquit *Horatius*, ita verborum, ita scholarum dixerim,
— — vetus interit aetas,
Et iuuenum ritu florent modo nata vigentque;
Debemur morti nos nostraque.

Praestitutus est cuique rei mortali, ita et cuique scholae
terminus quidam fatalis et fastigium celebritatis, quod
transgredi et superare famae et laudis constantia vix cui-
quam concessum est. Quis est quem fugiat duarum
quondam ad Albim et Salam academiarum admiranda
celebritas? et quis est qui non, eadem et beneficiorum et
virorum clarissimorum copia etiamnum manente, deflo-
ruisse tamen earum famam doleat? Premit nunc omnes
et obscurat per Germaniam literarum officinas Georgiae
Augu-

Augustae insigne decus et eminentior fama: at erat, erit
 et olim ille dies, quo nascente et enitente alia, vel sola vi-
 cissitudinis lege, et haec illum fuisse fateatur. Neque
 est quod miremur, communi varietatis necessitate et Gy-
 mnasia infestari: cum ipsae literae, quae in scholis tra-
 duntur, continuo immutentur. Quoque fere decennio
 literarum facies, docendi ratio et disciplinarum forma va-
 riatur: nouae et minus quondam cultae eruditionis partes
 formantur: plus requiri coeptum est a Gymnasiorum alu-
 mnis, quam Ebraicarum, Graecarum et latinarum lite-
 rarum notitia, et logicae scholasticae, cuius terminis
 horrisonis olim parietes isthae resonabant, rudimenta.
 Qui ergo fieri potest, ut inter creberrimas literarum vicis-
 tudines, Gymnasiorum antiquiorum perduret autoritas?
 Quotus enim est e praecessoribus eorum, qui se, sua
 studia, et docendi rationem et innouare velit et accommo-
 dare genio cuiusque aetatis? quotus qui possit? Dari qui-
 dem perhibentur Gymnasia, quorum frequentia nec ve-
 tustate nominis, nec temporis varietate, nec studiorum
 transformatione diminuta putatur: at vigescunt ea Gy-
 mnasia vel in aulis principum vel in oppidis ampliori-
 bus, in quibus continua nouitiorum Gymnasi ciuium
 seges subnascitur. At tu, o Schleusinga exigua, tam
 angustis moenibus inclusa, et Gymnasiis vicinorum cir-
 cumsepta, quantum puerorum ingenuorum suppeditare
 possis sustentandae Gymnasi Tui frequentiae?

Alia ratio diminutae discipulorum copiae inest in be-
 neficiorum pristinorum vel diminutione vel iactura. Be-
 neficiorum fruendorum spe multos Gymnasio adeundo
 conciliari iuuenes, non opus est multis asserere. Qua-

B 2

propter

propter et ipso illo Gymnasii anno natali, quo ducenti septuaginta iuvenes adscriptos illi fuisse dixi, centum vi genti computabantur beneficiorum alumni. Et vel in eunte hoc saeculo sexaginta extiterunt pueri, qui beneficio modo panis et iuris, quod idem munificentiae immortalis *Georgii Ernesti* debetur, fruerentur: libri quotannis, vel praemii vel beneficii instar distributi sunt 85 florenis comparati. Nostra vero aerate non triginta, vt olim, sed viginti iuvenes, non ternis sed binis mensis gratuitis accumbunt, non sexaginta sed viginti pane quotidiano et iusculo vescuntur, non 85 floreni, sed 18 --- non floreni, sed grossi libris in pauperrimorum usum comparandis impenduntur. Legatorum, quorum annuae usurae pauperiorum usibus distribuuntur, plurima eaque maxime opima, et hominum et temporum iniuria perierunt. Computate, auditores, quantum amiserit Gymnasium beneficiorum, et adiicite mente eorum numerum, qui coarctata beneficiorum copia ab eius subselliis arcentur: fateri vos oportebit, coetum hodiernum frequentiam florentiorum annorum sub initium huius saeculi certe aquare. O quam beatum me dixerim, si id me egisse, euentus olim doceat, vt deplorata beneficiorum pristinorum lugenda iactura, in animum sibi quisquam, qui me audit, induxit, vt ipse olim partem amissorum legatorum, sua beneficentia moribundus restauret!

Haud parum porro confert ad decrementa scholarum, inualescens hodie per plerasque earum, praemature in academias auolandi libido. In antiquiori Gymnasii nostri albo ex eo discessurum vix quenquam viginti annis minorem inuenio, multos vero iam vigesimum
quar-

quartum aetatis annum agentes: nostra autem aetate ante tempus iustum abeundi imberbem quemque pruritus inuasit, et qui vel legibus a maturandi discessus consilio auocantur, facile tamen veniam abeundi, quando velint, a dimittendi arbitris solent impetrare. Contracto autem vitae scholaisticae stadio, non coetus modo discipulorum diminuitur, sed et autoritas et fama Gymnasi cum in academia, dimisssis, tum in patria, receptis post triennium pueris, eleuatur.

Alia ratio disparis Gymnasi salutis et fortunae offert se antiquae eius historiae gnaris ex eo quod illi ipsi clarissimi viri, quorum doctrina Gymnasium illustraretur, Seberi, Reyberi, Zehneri, Ludouici, Iunkeri, Schadaei et alii vel ex literarum vniuersitatibus, vbi academicis insigniti honoribus iam priuatim iuuenes docuisserunt, ad subeunda in Gymnasio munera accersiti sunt, vel certe iis potissimum literis, quae futurum iuuentutis magistrum decent, operam suam dicarant. Quare fatum est, vt non ipsi solum secum ex academia, vt Seberi, Ludouici et Iunkerus ex Lipsiensi, puerorum honestorum manum Gymnasio afferrent, sed etiam doctrinæ suae fama auctoritatem Gymnasi sustentarent. Sed ex L. fere annis ab hoc more discessum et coepit fuit, ex candidatorum, qui domi exspectant munuscula sacra, grege surrogare Gymnasio praeceptrores. Multa iure requiruntur a futuro sacrorum ministro: sed tamen, non vereor ne nimis gloriose de meae sortis hominibus loquar, sed tamen multa potest impune ignorare, quae nosse debet, qui in Gymnasio ad humanitatem et disciplinarum rudimenta formare velit adolescentulos. Qua de-

re fieri potest, vt non eadem quisquam laude literas tradat, qui multa cum laude coetum rusticum de suggestu ad pietatem erat formaturus, et a pueritia paene formari debet humanitatis studiis is qui olim ad praeceptoris publici munus adspirat. Quapropter aetum est de Gymnasi cuiusuis celebritate, donec inualuerit ea consuetudo, vt superioribus eius ordinibus, e candidatorum ministerii coetu, vt quisque aetate vel exspectandi mora alios superat, ita sine studiorum delectu, nec consulto, nec auditio viro, cui res scholastica curae est, magister immittatur.

Multa porro iam desiderantur in antiquioribus Gymnasiis, quae in recens conditis vel restauratis ex genio saeculi solent tradi, et quae proinde illis solent in ignoraminiam verti. Qualia sunt exotericarum linguarum praecepta, rerum et naturalium, et arte factarum, et opificiorum per societatem ciuilem florentium notitia, saltandi pingendique ars, et mathematicarum disciplinarum penitior cognitio. Quae omnia cum diu a Gymnasii nostri subselliis exularent, in aliis vero scholis recens formatis tradi coepissent; nec propter aerarii eius tenuitatem publice mercede conduciri possent, linguarum et artium, quae corpus formare solent, magistri: non potuit non Gymnasii pristina autoritas diminui. Quapropter eo impensis celebranda nobis est indulgentissimi Electoris nostri de augenda Gymnasii celebritate cura, quam adsciendo Francogallici sermonis doctore publico, nouissimo anno declarauit: eademque eius clementia et nuperrima fisci restauratio spem nobis facit fore, vt et aliis defectibus tempus medeatur.

Maio-

Maiorum aetate praeter Gymnasium Schleusin-
gense per vniuersam Hennebergiam, florentior schola
nulla, et adiacentibus regionibus paucae extiterunt,
quibus pueri ad academica studia auspicanda rite for-
mari posse crederentur; et inter vicinos vix quis-
quam ad literarum studia capeſſenda animum applicare
posſe putabatur, quin Schleusingae eorum rudimenta
deponeret. Et nunc eorundem scholae iteratis restau-
rationibus, eiusque praeceptoribus et dignitate et fa-
lario auctis ad eum locum euectae sunt, vt alumni
earum carere posſe Gymnasi Hennebergici institutione
opinentur. Anne igitur in eodem ipso eiusque prae-
senti statu cauſa quaerenda est diminutae frequentiae,
ſi emendatis aliis literariis ludis peregrini ab adeundis
eius scholis arcentur?

Alia et postrema ratio obſolescentis Gymnasi fa-
mae, annalium eius lectori videbuntur esse crebriores
et diſputationes et orationes olim in Gymnasio ha-
bitae. Annos inuenio extitisse, quibus vel deni diſpu-
tatorii, terni valedictorii et totidem oratorii, bini
theatrales aetus instituerentur praeter panegyricos a
Rectore vel Conrectore Nutritoribus dictos. Vix enim
per vniuersam domum Saxoniam ea aetate vel obitus
lugendus, vel nativitas celebranda, vel nuptiae auspi-
candae erant, quarum in memoriam non in Gymnasio
Schleusing. poſcente principe, panegyrici dicerentur.
Haec omnia ex lxx annis aliter eſſe cooperunt: honor iste
publicus flagitari a nobis desuit: nascuntur, despontantur
et moriuntur duces Saxonici, non celebrati Gymnasi
communis praeconiis: et diſputationum publice habenda-
rum

rum frequentiam, quae quidem non tam usui puerorum, quam nomini faciendo inseruiunt, vetuit fisci exhaustio, declamationum vero priuatis impensis habendarum, typographorum merces iam duplo maior.

Plura adhuc a lautiorum puerorum parentibus urguntur, qualia sunt fastidiosa palliorum gestatio, funerum prosecutio, catechismi in templis recitatio, et in preculis publicis praesentia ab adultis postulata, quae et nonnulla alia silens praetereo. Haec autem omnia non eo consilio a me dicta sunt, ut cuiusquam animum offendere mea oratio; cum probari potius cuique et instillare hilaritatis sensum, quam displicere velim, sed ut rationes subesse ostenderem, cur non eadem hodie sit Gymnasi affluentia et celebritas, quae olim fuit, et ut expositis hisce rationibus temeritatem eius contempnendi amolirer.

Missis igitur, quae de comparando antiquiori et recentiori Gymnasi statu dixi, toti simus in sentienda festiu huiusc diei felicitate, et nuncupandis pro Gymnasi salute votis. Multa fane quae conquestus sum, nostris iam diebus restaurata cernero. Quod cogitanti spes subnascitur iucundissima fore, ut hic ipse sacrorum saecularium dies auspicatissimus natalis sit fortunae eius renascentis. Principes enim et Nutritores deueneramur, saluti Gymnasi prouidentissimos, Patrem potissimum Patriae, et h. t. Gymnasi directorem, Saxoniae Electorem, FRIDERICVM AVGVSTVM, quem dubia saepe et anticipati tempestate experti sumus seruandae et augendae

Gymna-



Gymnasii famae intentissimum. Viros colimus, rerum Hennebergicarum cum ciuilium, tum sacrarum cura suprema ornatos, qui ad tuendam ciuitatem nostram literariam nec sapientia destituuntur, nec voluntate nec literarum amore, et quorum insignia in nos promerita et porro de moderamine eorum saluberrima quaeque sperare iubent: magistri iam in eo docendi munere funguntur literarum et iuuentutis amantissimi. Quae omnia cum ad spem salutis Gymnasii publicae amicissime conspirent: laetissimis omnino omini-bus natalem eius trecentem laetabundi celebramus, spe pasti dulcissima fore, vt nouo ineunte saeculo Nutritorum Serenissimorum clementia, Mae-cenatum nostrorum fauore et studio, inspectorum gra-vitate et publicae salutis cura et praeceptorum fide et assiduitate ad pristinae famae partem Gymnasium nostrum antiquitate sua pressum reflorescat. Non potuit diuus **GEORGIVS ERNESTVS**, quum ad Gymnasium condendum animum adduceret, post alia immortalia facta mortale quid, aut quod defloresceret olim, condere. Nec cuiquam, o carissima studiorum meorum nutrix, tertium licet iam saeculum laetis omnibus auspicata, senescere videberis, quin in ipsis venerendae tuae senectutis insignibus aetatis indeflexae maturitatem et vigorem animaduertat. Floruisti omni aetate fertilissimorum ingeniorum prouento, florebis; misisti parentum et nostra aetate academiis iuuenum probatissimorum copiam, mittes; dedisti Hennebergiae, cuius solo effloruisti, ad munera eius cum sacra tum ciuilia cum laude subeunda, viros doctrinae copia instruetissimos, dabis; binorum iam saeculorum vicissi-tudines

C



tudines moderante et tuente Deo prosperrime superasti, superabis porro. Et quis est, auditores, ludorum saecularium spectator a publicae laetitiae, e rei literariae salute capienda communione tam alienus, ut haec inter eius auguria ad vota me praeeunte Deo pro Gymnasio facienda, mecum non conspiret. Seruet supremum numen, Deus scholarum tutelaris et sapientissimus moderator, seruet hanc sacrarum literarum et bonarum artium officinam, votis beatissimi conditoris et precibus multorum e gremio eius ad coetus sacri institutionem egressorum, sibi commendatam, in rei et christiana et publicae augmentum; seruet eam, ut tertium saeculum auspicata, ad iuuenilis aetatis vigorem resflorescat, auctior in dies gratia, autoritate, celebritate et fama --- Sed quid ego Vos iam votis morer! Simplex et singula quae praecari quisque posse sit, complexum vnum omnium votum hominem
die esto: *salus Gymnasii.*



C

X 2697507

YD 5869 fa

n.o.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13


M. ALB. GEORG. WALCHII

PHIL. ET MATH. PROF. ET ILL. GYMNASII HENNEB.
RECTORIS

ORATIO

IN SACRIS GYMNASII SAECVLARIBVS
SECUNDIS

D. X. MAI. CC LXXVII
HABITA



SILVIAE,

STANNO IO. GEORG. MULLERI, GYMN. TYPOGR.
CC LXXVIII.